



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Casvum Conscientiæ**

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

**Sayer, Gregory**

**Venetiis, 1627**

44 Permutatio beneficiorum, & uenditio fructuum alterius simul fieri nequeunt sed diuersi tempore sic.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13903**



municatus, non est rat. en irregularis, cum nullibi exprimitur fieri irregularem quem am ipso iure ob simoniam in beneficio commissam, ex Nau. in Man. c. 23. nu. 111.

## DECISIO XXXIX.

Ex consil. 36. alias 13.

**39** R Enunciatio beneficium in manibus Ordinarij pure, simpliciter, & liberè, concepta tamen spe, quod ille conferret illud, cui ipse volet, vel quod patronus præsentabit ad illud, quem ipse voluerit, nullo pacto, aut modo, aut conditione super hoc expressis, nec peccat, nec in penas contra renunciantes cum confidentia per Pium V. impositas Extra. cum primum ed. an. 1566. incidit; cum Extravagans illa de sola confidentia illicita, de qua Pius IV. locutus est, intelligatur Non est autem illicitum concipere aliquam spem gratiæ alicuius referendæ sibi a beneficiario, quem quis eligit, aut præsentat, aut cupit, ut per suam renunciationem ei conferatur.

## DECISIO XL.

Ex consil. 37. deest in Nonis.

**40** C Um patronus non habeat potestatem dandi, vel conferendi beneficia, sed solum præsentandi ad illa, ut patet ex Lot. tit. de iure patron. qui ex solis literis patentibus Patroni beneficij, beneficium etiam simplex accipit, & possidet absque titulo Apostolico, aut Ordinarij, peccat, & omnes fructus inde male perceptos restituere tenetur, arg. c. 1. de reg. iur. in 6.

## DECISIO XLI.

Ex consil. 38. alias 17.

**41** R Enunciatio beneficium cum intentione, ut alteri detur, dummodo non interueniat pactum, vel conuentio, aut modus expressus dandi, vel recipiendi simoniam non committit, c. ordinationes, & gl. 1. q. 1. & Ant. 2. p. tit. 1. c. 5. §. 11. nec in Extravagantem Pij V. de confidentia incidit, quæ intelligenda est de intentione tacite, vel expresse in conuentionem deducta, præsertim cum vix vilius sit, qui sponte beneficium suum renunciat, qui non habeat intentionem tacitam vel expressam, principalem, vel minus principalem, ut alicui conferatur; & ut plurimum qui renunciat beneficium sola intentione, ut detur alicui principalius renunciat ob aliquid aliud, quam ut illi conferatur, ita Nau. in Man. cap. 23. num. 100. 107. & 110.

## DECISIO XLII.

Ex consil. 39. alias 59.

**42** C Reditor remittens debitum aliquod v. g. centum aureorum cum pacto, ut debitor consentiat reservationi pensionis centium aureorum super canonicatu suo, in fauorem filij, aut nepotis dicti creditoris, simoniam committit: quia licet pensio beneficalis, res spiritualis non sit, Pan. & Fel. in c. ad audientiam 2. de rescrip. rei tamen spirituali, nimirum beneficio est annexa: vnde sicut emptio rei spiritualis simoniaca est; ita etiam emptio rei annexæ spirituali, qualis in proposito interuenire censetur cum nomine emptiois, & venditionis in materia simoniæ veniat omnis contractus non gratuitus ex S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 1. & Nau. in Man. cap. 23. num. 100. Maxime cum pensio nec ultè emi, nec redim. possit absque Apostolica auctoritate. Non tamen excommunicatio ob istam simoniam incurritur, cum iura Extra. 2. de sim. & Pius V. Extra. Cum primum. constit. 5. solum simoniacos in ordine, & beneficio excommunicent, simonia vero in pensione constituta commissa, non est super beneficio, ex Nau. in Man. cap. 23. nu. 111.

## DECISIO XLIII.

Ex consil. 40. alias 34.

**43** D Voconueniente ut alter beneficium curatum renunciet, ut conferatur alteri habenti duo beneficia simplicia, & ille ea renunciat cum pacto, ut ordinarius ea conferret nepoti renunciantis suum curatum, & vterque renunciet simoniam realem committunt, & in excommunicationem incidunt, & renunciations nullæ, & irritæ censendæ sunt ex Nau. in Man. c. 23. nu. 100.

## DECISIO XLIV.

Ex consil. 41. alias 49.

**44** P Ermutatio beneficiorum cum pacto, ut alter emat fructus beneficij alterius, illicita est, si eodem tempore, permutatio & en pro fructuum fiat; secus autem si diuerso fiat tempore, ita ut prius fiat permutatio beneficiorum auctoritate Papæ, & postea venditio fructuum auctoritate propria, cauendo tamen, tam coram Deo, quam coram hominibus, ne vilius eorum ante permutationem alteri promittat, se empturum, vel venditurum fructus, si permutatio fiat, & alias non; sed ut vterque liber maneat ad emendum, vel vendendum post factam permutationem: Potest tamen interuenire decentia antidotalis, & spes quod inter illos emptio & venditio illa fructuum consequenter ex Nau. in Man. c. 23. num. 100. ver. 5.

## DECISIO XLV.

Ex consil. 42. alias 39.

**45** V Acante beneficio simplici quod duo impetrare desiderant, & ne alter alteri sit impedimento, pactum inuenit, quod alter eorum, qui impetraret, aliquam pensionem det alteri qui non possit impetrare, si postea vnus eorum illud obtineat, & dictam pensionem non soluat simoniam saltem realem non committit; eo quod conuenit ad vtrique parte non sit completa, ex Nauar. in Man. c. 23. nu. 106.

## DECISIO XLVI.

Ex consil. 4. (alias 11.) de iure patron.

43.

8.

**46** B eneficia, quæ in aliqua Prouincia reperiuntur a iure communi, & ab alijs beneficijs, quæ communiter instituntur, omnino discrepantia, & aliena & quæ personatus & beneficia personalia vulgo appellantur, sine auctoritate ecclesiastica constitui non possunt; c. Ad hæc de relig. domib. & in illis, sicut in alijs beneficijs permutandis, simonia committi potest.

## DECISIO XLVII.

Ex consil. 45. alias 57.

**47** C Lericus monens aulicum, vel familiarem Papæ, & cum ipso conuenit quod alter beneficium vacans impetret, & alter promittit se consenturum pensioni a Papa pro ipso aulico imponendæ; simoniam committit; quia intercedit promissio de faciendo aliquid temporale, pro re spirituali habenda, quæ illicita, & simoniaca est; Glor. in summa 1. q. 1. & Nau. in Man. c. 23. nu. 100. secus vero si aulicum vel familiarem foget, ut illud sibi impetret non facta promissione de contentendo pensioni, licet post impetrationem liberè illi consentiat.

## DECISIO XLVIII.

Ex consil. 46. alias 37.

**48** E cclesiam in fauorem alterius resignans cum pacto ut alter consentiat pensioni super ea imponendæ, & soluat expensas in expeditione Bullarum dictæ pensionis faciendas, simoniam committit.

## DECISIO XLIX.

Ex consil. 47. alias 89.

**49** S cholasticam pecuniam pro loco Collegij renunciando accipiens simoniam committit; eo quod loca, seu sodalitia hæc pro pauperibus scholasticis instituta licet non sint spiritualia, sunt tamen eis annexa, sicut & ius patronatus ecclesiasticum; cap. quanto. de iudic. cap. secundum de iure patronat. excommunicationem tamen in iure extra. 2. de simon. latam non incurrit; cum hæc solum contra simoniacos in ordine & beneficio ecclesiastico lata sit sodalitia vero dicta, ecclesiastica beneficia non sunt. Vnde sicut emens ius patronatus quamuis simoniam committat, excommunicationem tamen non incurrit ita nec loca illa ementes, aut vendentes excommunicantur; accepta autem pecunia pauperibus, vel donanti restituenda est, ex Nau. in Man. cap. 17. num. 30.

DE